

Leporis dentes monstrosi,

descripti

^a
Carolo Petro Thunberg.

Aberrationes a consueto Naturae ordine obveniunt in toto organico et vivo Orbe, et monstrositates sese ostendunt majores vel minores, pro gradu impedimentorum atque obstaculorum, quae tam Animalia, quam Vegetabilia, sub naturali sua explicatione experiri solent. Duo itaque— Animalia concreescere, plures eorum partes deficere, aliae — duplicari possunt. Millia ejusmodi exempla et phaenomena apud Auctores occurrunt, observata, notata et descripta, semper admiranda et lucis non parum Physiologiae humanae subministrantia. Praeteritorum duorum seculorum in lucem edita Acta scientiarum imprimis ejusmodi exemplis — ditata sunt in scientiarum augmentum et utilitatem summam humani generis.

Ante aliquot abhinc annos ad me misit carissimus olim Discipulus Cranium Leporis, in provincia Smolandia occisi, cujus dentes incisores, extra omnem modum — excreti, longi et monstrosi, et quidem in utraque maxilla, superiori et inferiori, sic ut dentes Elephantis eburneos referrent, et ut mihi obveniret omnino incredibile, quomodo Animalculum hocce, e Glirium ordine, rodendo vegetabilia, nutrire — sese potuerit. Animal dudum erat occisum, dum cranium fuit oblatum, sic ut nullae in vivo objecto institui potuerint, Observationes.

Species est Leporis *timidi* Linnæi, in Fauna suecica descripti, sive Leporis *variabilis* Auctorum, quae quidem species aestate cinereo colore, hieme niveo varians, omnium vulgarissima in sueciae omnibus provinciis occurrit.

Descriptionem et delineationem monstrosorum horum dentium incisorum in utraque maxilla heic communico, ut inde appareat, quo usque deformari potuerunt instrumenta illa cibaria, quae ad nutrimentum e corticibus et herbis capiendum maxime necessaria, adeoque huic fini apta esse deberent.

Incisores, qui in omni Glirium ordine numero duo, et figura truncata ac lata sunt, heic in maxilla inferiori valde excreti obveniunt, in longitudinem duorum pollicum, porrecti extra oris labia, sensim versus apicem curvati et sursum flexi, ac secundum totam longitudinem fere exacte tetragoni; in maxilla superiori, breviores sunt, vix pollicis longitudine, multo magis curvati, et versus inferiora, ac simul oblique ad sinistram flexi, in basi approximati, in apice divaricati.

Simul vero observatur circumstantia, scilicet, quod praeter hos maxillae superioris dentes ordinarios primores seu incisores, jam descriptos, et in alveolis suis insertos, simul inveniuntur in latere inferiore et in diversis parvis foveolis duo alii dentes, duplo breviores, et teneriores, omnino fere recti et acuti, quorum sinister — non nihil brevior deprehenditur.


Ad ligna et cortices arborum rodendos, vel etiam ad herbas et gramina abscindenda, monstrosi hi dentes minime apti vel idonei videntur; sic ut sine magna difficultate alimento suo necessario frui non potuerit infelix animalculum. Nec facile dictu erit, quatenus fuerit causa singularis hujus, sensim per longius sine dubio temporis, forsitan plurium annorum spatium incrementis abnormitatis.

Figurae adjectae omnes partes cranii et dentium monstrant naturali sua magnitudine depictas, Nr. 1 et 2. singulam maxillam, Nr. 3. cranium integrum, quod jam, conservatur in Museo Regiae Institutionis chirurgicae Stockholmensis.


Nr. 1. maxilla superior.

2. — — inferior.

1.



2.



A. F. J. gr.